



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

XLVIII. Dieselbe Bestätigung in anderer Form, vom 26. März 1372.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54581)

modi ecclesiarum possessio et detentio a nonnullis nostris predecessoribus, episcopis Brandeb., pro tempore fuit et erat confirmata; Etiam nos ipsis preposito, canonicis et capitulo, attenta ipsorum paupertate multiplici et inopia pregrandi, quanto melius possumus, easdem ecclesias denuo eisdem presentibus incorporamus et concedimus pleno jure sic, quod quidquid est residui, de ipsarum fructibus, redditibus et proventibus debitis oneribus supportatis ad mensam communem dictorum prepositi, canonicorum et capituli duntaxat valeat applicari. Ne igitur in futurum ullorum contradictionibus seu inquietationibus possint dicti prepositus, canonici et capitulum super eisdem molestari, ut ipsi perpetuo in eorum religione propter hoc supportati pro salute omnium fidelium virorum et defunctorum possint exorare, presentes literas, nostri appensi sigilli munimine fecimus roborari, presentibus discretis viris Thiderico de Geben, Verdenfis dioc., et Nicolao de Machenow et Nicolao de Lubas, presbiteris nostre dioc. et Huperto de Soltwedel, officiali nostro, et Conrado Palmedach, clerico Brandeb., publico notario, testibus ad premissa. Datum Seiefer anno domini M. CCC. LXXII. sequenti die annuntiationis beate Marie virginis.

Nach dem Originale des Domstifts Brandenburg.

XLVIII. Dieselbe Bestätigung in anderer Form, vom 26. März 1372.

In nomine domini Amen. Nos Thidericus etc. episcopus Brandeburgensis, intendentes et cupientes inopie monasterii seu ecclesie Brandeburgensis tenuitatie fructuum et reddituum ejusdem per rapinas et incendia guerre destructorum et nimium extenuatorum ac indigentie prepositi, prioris, canonicorum regularium ipsius ecclesie seu monasterii, ordinis Premonstratensis, subuenire eorumque paupertati ne mendicare cogantur pie subventionis auxilio relevare, opidorum Nowen et Cottzin et ville Markowe, nostre dioecesis, parrochiales ecclesias, quorum jus patronatus ex donatione illustrium principum Ottonis et Johannis et Woldemari, olim marchionum Brandeburgensium, pie recordationis ad prepositum et capitulum predictos pertinebat, cum omnibus suis pertinentiis, fructibus et utilitatibus monasterio predicto et mense dictorum prepositi et capituli cum consensu eorundem prepositi, prioris et capituli dicte ecclesie Brandeburgensi auctoritate ordinaria unimus et easdem ecclesias cum eisdem suis pertinentiis, fructibus, utilitatibus et juribus universis in dictum monasterium transferimus pleno jure, dantes et concedentes eisdem preposito, priori et capitulo dicti monasterii et suis successoribus, qui sunt pro tempore, liberam auctoritatem possessionem earundem ecclesiarum, quam primum eos extunc et in antea vacare contigerit, nanciscendi, ingrediendi et regendi per personas ejusdem monasterii et ipsarum fructus in usus eorum et ejusdem monasterii convertendi. In cujus rei testimonium etc. presentibus discretis viris Thiderico de Geben, Verdenfis dyoecesis, Nicolao de Machenow et Nicolao de Lubaz presbiteris nostre dyoecesis et Huperto de Soltwedel officiali nostro et Cunrado Palmedach, clerico Brandeburgensi publico notario, testibus ad premissa. Datum Seyefer anno domini M. CCC. septuagesimo secundo, sequenti die annuntiationis beate Marie virginis.

Nach dem Originale des Domstifts Brandenburg.